



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

15. Lucratus eris fratrem tuum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39546

istud: Dedit Christus Episcopos qui regât Eccle-
 siâ Dei; ergo nec paterfamilias, nec parentes na-
 turales, nec proximus quisq; spiritualem suorum
 curam habere tenentur. Denique & istud: Rex
 totam Rempublicam per varios magistratus in
 vnaquaque ciuitate temporaliter regit: ergo nec
 domino seruus, nec patri filius, nec duci miles,
 nec artifice tyro, nec magistro discipulus obedire
 debet. Est quippe Angelorû custodia generalis,
 est & cuiusque particularis; sicut est tum Spiritus
 Sancti, tum Ecclesiæ, tum Reipub. cura ac mode-
 ratio generalis, quæ particularem in vnoquoque
 genere non excludit. Deinde, etsi aliqua Scri-
 ptura docet generalem Angelorum custodiam,
 aliæ tamen Scripturæ docent particularem; sicut
 tum hic locus, tum ille maxime de Petro fores
 pulsante: *Angelus eius est.* Act. 12. vt in loco supra
 citato contra Calvinum explicuimus. Insulsè
 igitur & nimis præproperè post tam stupida ar-
 gumenta concludit Calvinus. *Facessat ergo commen-
 tum illud de bono & malo genio.* Facilius fuit Calui-
 no citò concludere, quàm solidè disputare.

15. *Lucratus eris fratrem tuum:*

NOTANDVS in Scriptura loquendi mo-
 dus, qui effectum totum partialibus cau-
 sis eisdemque infimis interdum tribuit.
 Lucrari enim animam perditam, præcipuè qui-
 dem Deo, eius gratiæ, & Christi merito tribuen-
 dum est; partim quoque ipsius conuersi pœni-
 tentiæ, lachrymis, fidei, fiduciæ, orationi, alijs-
 que ex libero eius arbitrio cum speciali Dei au-
 xilio profectis conatibus. Hoc tamen in loco tri-
 buitur correptioni fraternæ, quæ non nisi exter-

Causis
 partiali-
 bus tri-
 buitur
 effectus.

M num

num quoddam medium est, idemque inter externa infimum, quum Pastoris prædicatio & correctio magis sit ordinarium & excellens medium, quia ex vnctione loquitur. Docere hic locus hæreticos hodie debet, ne blasphemiam putent, si B. Virginé aut alios Sanctos, vitam, spem, ac salutem nostram interdum vocamus: quatenus videlicet, vitæ, spei, ac salutis nostræ partiales causæ sunt, tametsi ne c primariæ nec integræ.

17. *Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ.*

18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*

DISCIPLINAM & censuram Ecclesiasticam à Christo hoc loco institui omnes intelligunt. Sed *Ecclesiæ* nomine quid intelligi debeat, non omnes rectè assequuntur. Hæretici hodie, vt Ecclesiasticam disciplinam quam à Prælati Ecclesiæ exerceri videbant, penitus subuerterent, seque ipsos à censuris Ecclesiæ ipsaque excommunicatione immunes serua-
rent, nouas huius loci interpretationes commentifunt. Quidam enim toti congregationi hanc auctoritatem tribuunt, tum quia Ecclesia congregationem & multitudinem significat, tum maximè quia publica censura his verbis significatur. Christus enim (aiunt illi) gradatim ascendit à priuata admonitione ad testes duos, aut tres: à testibus ad Ecclesiã: quæ nisi plures quàm duo aut tres essent, non esset gradatio, sed descensio. Totam igitur fidelium congregationem intelligant non quidem toto orbe dispersam, sed illius loci ac parœciæ cui frater corripiendus subiicitur, quia actor sequitur forum rei. Hæc fuit
prima

*Ecclesia
quæ au-
dienda.*